VOX

Rugientis Leonis;

SIVE

EPISTOLA EXHORTATORIA

AD

PAPISMUM

Patris *Georgii Borovii* Ord. Prædicatorum

UNA CUM

RESPONSORIA

Ad eandem

CURA

G. J.

LONDINI,

Excudebat Anno, 1679.

Harvard College Library
Coolidge Fund
October 25, 1939

CELEBERRIMÆ UNIVERSITATIS

CANTABRIGIENSIS

PROCANCELLARIO DIGNISSIMO

Admodum Reverend. Dom. *FRANCISCO TURNER*

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI

Vigilantissimis, Clarissimis, Collegiorum Præfectis, eorundemque Sociis meritissimis.

G. J.

SALUTEM.

INfelix ille merito censendus est, quem gratum nulla effecit occasio. Cum enim & existentiæ nostræ finis, & fortunæ argumentum, sit vivere aliis, fine proprio & fatorum favore ille excidisse videtur, qui nec suo officio satisfacit, nec aliorum respondet expectationi. Injuria igitur in me non fuisse fata palam profiteri debeo, siquidem hanc præbuere opportunitatem, per quam æque mihi ingrati nomen effugere, ac reapse gratum esse concesserunt.

Nempe dum literas ad me & a me ſcriptas (temporum ſerie ſtimulatus) in lucem edere conſtituiſſem, vos mihi occurriſtis, quibus eas velut & debitæ obſervantiæ homagium & veræ gratitudinis teſtimonium, offerrem. Tu præſertim Procancellari Digniſſime eras mihi inſtar fontis Romani laurea debitæ recordationis coronandus. Nunquam enim dum indigerem Tuo favore, defeciſti, dum tuum expeterem conſilium, abnuiſti nunquam. Vos etiam reliqui Academici veſtras partes expleviſtis, quando me (cujus ſemper meminero) & amore fulciebatis & blandis delectabatis alloquiis. Majora igitur merita veſtra & collata in me beneficia requirerent, ſed quia gratum me magis volui, quam doctum exhibere, etiam hæc exigua non ſupercilioſe notare, ſed benigno vultu excipere dignabimini.

Spartanos mihi imitari placuit, quos tibia ad pugnam non tuba animavit; & quorum magnanimitatis ratio, non tam ex dato ſigno, quam ex conſtanti in conflictu perſeverantia, eluceſcebat.

Et licet ſæpe res ad Triarios redierit, non minus animoſe tamen velitantes Romani manus cum hoſte cenſendi ſunt conſeruiſſe. Fortitudinis qvippe natura non tam ex ancipiti fortunæ alea, quam ex vicendi promptitudine æſtimatur.

Quic-

Quicquid ſit ſi fumus ignem & ex illo Appellis anagrammate *Vnguis Leonem* indicat non jam mihi de placida & geometrica cenſura veſtra erit dubitandum.

Proportionem iſtam & mea requirit imbecillitas & veſtra humanitas pollicetur. Satis erit ſi Univerſo fuero orbi teſtatus, me ingratum eſſe noluiſſe.

Liceat aliis ex divite ſuo penu, ex inſtructiſſimis Gazophilaciis, aurum argentum, gemmaſq; depromere, mihi non eſt ultra Sphæram meæ activitatis progrediendum, quia gneſyo Perſæ, ultra palmam aquæ purioris plenam aſcendere non licuit.

Hanc vero vos Academici Clariſſimi excipite, & ſi me in numerum Athletarum non poſſitis, in ſervorum veſtrorum copotare dignemini.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

QUO magis a centro abeunt lineæ, eo latius in circumferentia a se dividuntur, quo longius a fonte discedunt aquæ, eo plus secum limi trahunt Lector Candidissime. Ita nempe juxta illum Antiquitatis antesignanum; primum quodq; verissimum & si verissimum etiam optimum jure merito dicendum est, Adæquata siquidem hæc est Entitatis proprietas ut non minus unum quam bonum, nec minus bonum quam verum dicatur. Primum vero & verissimum viæ ad salutem instrumentum & fundamentum est verbum Dei. Centrum istud veritatis, fons consolationis, directionis & sanæ hypotyposeos fluentum. A quo si qui longius discedant non jam possident notitiæ Christi eminentiam, sed stultis hujus mundi rudimentis, humanis traditionibus, ceremoniarum apparatu & similibus crepundiis puerilibus inescantur.

Quamprimum peregrina vocabula in Ecclesiam introducta fuissent, statim, quia a fonte discessum, rixarum, contentionum, superstitionis, Idololatriæ occasio extitere.

Donec ex tenore verbi veritatis, sigilla fœderis gratiæ signorum nomine veniebant, nihil in hac materia mundus controversiarum est expertus: Ast quamprimum ex castris Romanis in Ecclesiam Dei sacramenti nomen Tertullianus.

tranſtuliſſet, per gradus, humanarum opinionum, cœpit ſerpere varietas, &, a quibuſdam excogitati Sacerdotes, erecta altaria, ſacrificia proprie dicta defenſa, tandem ingens illud & horrendum Tranſubſtantiationis monſtrum, peperere. Unde quæſo illa Papalis ambitionis occaſio, unde tot exorbitantiarum adhuc dum in Eccleſia ſerpentium multitudo, preterquam ex primæ ſedis, Imperatoriæ & tribunalitiæ Civitatis, Vicariatus Chriſti, ſucceſſionis Petri, vel dignitate vel prætenſione.

Per hæc & ſimilia fractio Joſephi fuit effecta & inſutilis Chriſti Tunica in tot partes diſciſſa quot in mundo hæreſes, quot ſchiſmata, quot ſectæ reperiuntur.

Nulla vero inter Eccleſias Chriſtianum nomen profitentes æque ac Romana hoc elementario percuſſa eſt ſcotomate.

Nam poſtquam ſcripturarum Veſtigia premere deſiiſſet quicquid Abſurditatum Ariſtoteles, Plato inventionum, fabularum Maro, ſuperſtitionum Talmud, Idolatriæ Ethniciſmus habet vel comprehendit, omne iſtud ſuum fecit, omniumq; abſurditatum lærna, & errorum phalærna eſt reddita.

Eſſet adhuc ſedatis mentibus in tanto cataclyſmo ſolatium, ſi mordicus ſuis abſurditatibus non adhererent: nunc vero piæ animæ omnem ſpem decoxiſſe videntur, quoniam conſpiciunt, tam altas hanc metamorphoſin, in cordibus eorum jeciſſe radices, ut non ante ab illis abduci, quam vita priventur, deſiniant.

Splendeat licet Juſtitiæ & Veritatis ſol, radioſq; ſuos ad univerſum mundum illuminandum, diſpergat, hi tamen (ut cum Tertulliano loquar) lucifugæ ſcripturarum ad medium ſolem cæcutiunt, & ſubnixi præconcepto, de adverſa parte hæreſeos prætextu, ne quidem audire volunt quos odiunt. Sæpe Micha a Regio conſpectu arcetur eo quod orationis ſuæ ſtylum non ad blandiendum ſed ad redarguendum explicet & acuat.

Vides ſimilem in hac cujuſdam prioris Dominicani quam nunc publicam facio, Epiſtola animi conſtitutionem. Vides inquam

inquam quomodo inveteratus Pontificius omnes proteſtantes, Diabolos, Religionem eorum, Sathanæ mancipatum nuncupare non erubeſcat.

Certe ſi perſuaſum mihi eſſe dixero non aberrabo hominem iſtum vel non legiſſe vel noluiſſe Proteſtantium libros evolvere, eo quod tam cæco contra ignotos hoſtes impetu feratur. Præter calumnias & convicia nil adfert, tali cauſa talia tela expoſcente.

Ad tam abſurdum ad Papiſmum relapſum, non alio argumento præter honorum illectamentis, me evocat. Quando vero animæ meæ curam videtur ſuſcipere, nil aliud dicit, niſi quod ſim in manibus Diaboli; non alio in hanc partem præterquam converſionis meæ argumento producto in medium. Sic a Scriptura diſcedens diſcedit a veritate, ac veluti cæcus judicat de coloribus.

Ego quid & quomodo reſponderim, Tu Lector Chriſtiane poteris judicare, ſaltim pro chartæ anguſtia & ſcriptionis natura erat ſufficiens. Epiſtolam enim ſcripſi non volumen, & licet potuiſſem plura addere, quæ æque methodum interpolaſſent ac rem explicaſſent uberius, nil tamen mutare volui ne forte (ſi unquam hæc impreſſa charta ad manus ejus perveniſſet, plura me ad placendum mundo, quam ad reſpondendum ſibi ſcripſiſſe diceret. Eadem ergo veſte coram facie mundi, qua coram prætenſo meo amico volui comparere. Voluntatem meam & animi integritatem æqui boniq; conſule Lector honorande, & ſi Proteſtans ſis, mecum de obtenta & poſſeſſa veritate gaudebis, ſin diverſus, cura, ut ſapias, & æque moderate de me judices, quam egomet ipſe totam meæ & alienæ fidei rationem, in ſolum Deum conſcientiarum judicem conſuevi transfundere.

EPISTOLA
EXHORTATORIA
AD
PAPISMUM.

C

EPISTOLA EXHORTATORIA AD PAPISMUM

GENEROSE DOMINE ℣.

Salutem & Chriſti fidem veram.

NON ſine ingenti cordis mæſtitia ad Te mihi ſcribendum eſt, eo quod te videam in tam infelici verſari ſtatu, ſtipendia nempe merentem apud terenum Regem, relicto miniſterio Regis ante omnes Reges regnantis Dei & Creatoris tui O quam Deus, & Optimus ſit in te, Tu vel ipſo tuo proprio exemplo id edoceri potes, quem æquum fuiſſet centies & millies e viventium numero eximere vel ad minus rigide & ſevere punire pro tot peccatis & ipſi Deo illatis contumeliis, quem propter tuam petulantiam maxime vero carnalem libidinem deſeruiſti & tranſiſti

transfisti in castra Diaboli, Tu quia antea ipsius Dei servus fueras. Attamen hoc non obstante adhuc te, Hic, ex infinita sua bonitate alit & sustinet in hoc mundo eo quod sit paratus suam Tibi misericordiam exhibere, si modo corde non ficto ad eum converti & Diaboli castra deserere volueris.

Bona nunc ad hoc, se offert oportunitas, quando illud acceptabile tempus diesq; salutis affulget, in quo generalis Jubilæus per universum mundum, maxime apertis & notoriis peccatoribus necessarius, celebratur: Quo durante Beatissimus Pater Clemens XI. omnes Apostatas recipit in gremium Ecclesiæ Catholicæ unionis, & ab omnibus censuris ac pœnis, quas juste promeriti fuerant penitus reddit immunes, imo ad omnes honores ac dignitates tam Ordinis quam Sæculares cooptat. Tibi etiam (quod pro antiqua nostra necessitudine sincere & infucate scribo) adhuc apertæ sunt portæ ad misericordiam consequendam, quamvis nullum alium preter me habéres protectorem, hic sufficet. Verum etiam illi quicunq; tantæ tuæ desperationis forte poterant esse occasio, corditus dolentes tuam ruinam Te deflent, & si te ante mortem (quæ illis brevi imminet) possent adhuc conspicere, id inter maxima fortunæ suæ reponerent argumenta. In omnibus Tibi opitulabuntur boniq;

niq; tui rationem promovebunt. Ecce quidam Novacovius noſter in ſimili ſtatu per multos annos perdurabat nunc autem eſt integerimus ſervus Dei ac ſummis Ordinis gaudet honoribus, me (niſi fatis cæſſero) Priorem reperies, Recipiam Te ad meum Monaſterium omni cum humanitate ac benevolentia qualem ſibi ullus poſſit polliceri. omniaq; tibi ſuppeditabo media ad plenariam reſtitutionem ac indulgentiam obtinendam tum Romæ, tum in Polonia. Pater Provincialis eſt meus intimus amicus ac olim condiſcipulus in Hiſpania Martinus Borovius, hic omni cum affectu Te gratiis ac honoribus Ordinis reſtituet atq; in mei gratiam quidquid deſideraveris efficiet. Nunc licet inferiori (poſt Varſauvienſem) gaudeam prioratu hac tamen æſtate Siradienſem debebo ſuſcipere; ibi me invenies unaq; mecum habitabis ſolummodo omnibus viribus coneris quam primum eripere animam tuam ex tam imminenti periculo. Deus autem ipſe pœnitenti ferret ſuppetias & intentionem ejus fovebit. Quod ut fiat, ego una cum multis aliis Deum ardentibus deprecabor precibus quatenus ſcintillam gratiæ ſuæ cordi tuo immitere dignetur, ſine qua neſcio quomodo vel dormire poſſis quietus vel hilares ad ſydera attollere vultus cum ignarus eſſe nequeas, in quanto verſeris errore. Tanquam igitur errantem & a recto deviantem

tem tramite ovem, quærit te per me ille dilectiſſimus Paſtor Jeſus Chriſtus, qui majori gaudio ex una ove perdita, quam ex nonaginta novem fuit affectus. Exhilarabis converſione Tua imprimis Deum, tum Sanctos ejus in Cœlis & Angelos, præcipue vero Patrem tuum, Sanctum Patriarcham Dominicum, Exultabimus & nos omnes amici tui qui te tuamq; condicionem multis deploramus lachrymis. Convertere igitur & fac tandem. Ut hoc unicum (antequam naturæ perſolvero debitum) poſſim nanciſci ſolatium te ut hiſce carnalibus adhuc queam intueri oculis. Abyce vile & contemptibile ſervitium, & redi ad caſtra primævi Domini tui qui ſervos ſuos æternis remuneratur voluptatibus. *Amen.*

RESPONSUM

REVERENDE

PATER PRIOR

SALUTEM & SANAM CHRISTI DOCTRINAM.

POſtquam ex literis tuis vigeſima Aprilis datis percepiſſem, Te nedum bene valere verum etiam poſt tot exantlatos labores & afflictiones ſummis Ordinis frui honoribus, non jam cum animi mœrore, ſed ingenti animi perfuſus lætitia reſcribendum putavi. Humanitatis etenim leges tranſgrederer, ſi gaudium hominis, curam animæ meæ ſuſcipientis ſilentio ſepelirem. In medio tamen læticiæ non poſſum nonniſi dolere de Tua tam mala de me ſtatuq; præſenti opinione, cujus Univerſæ infelicitatis rationem in id quod terrenno Regi Cœleſti relicto & tandem ipſi Diabolo inſerviam refundis. Aſt falleris multum Reverende Pater, quando tam injuſta & Te indigna ſcribis. Nam præterea quod non inter poſtrema felicitatis meæ collocarem argumenta, Angliæ Regi Pio, Auguſto miti, & felici Principi,

Ut illi videtur.

cipi, (licèt inservire tenuiori gauderem officio) cum præsertim non ea quæ deorsum sunt; sed quæ sursum quæram,
Joh. 6. Christiq; secutus consilium. Non hunc panem qui perit, sed illum qui perdurat ad vitam æternam anhelem: Etiam per Dei gratiam & amicorum auspiciis, tali defungor munere, quod non inter infima reputatur, atq; insuper sperem iisdem amicis faventibus nec consilia nec media defutura per quæ me (ringente etiam invidia) ad ulteriores honoris evehant gradus. Licet igitur in terrenis affluentiis felicitatis meæ anchoram non figam, tamen quod primo statum corporis attinet infelicem me immerito appellaveris. Tunc insulse admodum servitium Regis, Dei, servitio contradistinguis, quasi illa non possent inter se simul consistere.

Nam ut omittam Moysem, Josue, Samuelem, Davidem, Salomonem, & alios simul Reges, & Prophetas, quosdam etiam Sacerdotes fuisse, vel ipsi Pontifices Romani duobus gladiis temporali nempe & spirituali gaudent sæpeq; ensem Pauli, clave Petri in Tyberim projecta, assumere non dubitant. Nonne multi in Germania Episcopi Secularium Principum nomina meruerunt, ita ut Sacerdotes sint in templo, in campo vero Martio Principes. Quid dices de Patriarcha vestro S.
Antonin. Senensis in Cronicis Prædicat. Dominico qui contra Valdenses & Pædemontanos ipse primus in acie processit: Quid de Naamane Assyrio, qui & templum Rimmonis politice introire potuit, ut scilicet Rex super humerum ejus reclinaret, & in particula terræ Cananæticæ. Vero & viventi Deo, sincere incmolare. Si igitur ille & Idolatræ regi & vero Deo simul inservire potuit multo magis ego Regi religioso, sinceramq; fidem profitenti & Deo simul potero militare. Sed satis superq; quonam per talem expressionem

m tendas conicere poſſum. Non alia tua eſt in oppo-
ndo ſervitium Dei ſervitio Regis intentio, quam quod
ıſtimes clerum a poteſtate ſæculari exemptum eſſe,
uem tamen a eorum juriſdictione non ante poteris
ſubducere, quam eos animam habere negaveris, quia
juxta Paulum Omnis anima poteſtatibus ſupereminen-
tibus eſt ſubjecta. Sed jam ad ſtatum animæ meæ me
converto, de quo non uti Chriſtianus ſed uti Stoicus
loqueris, ita ut nullum in Te ſignum charitatis repe-
riam: Dicis enim me eſſe ſervum Diaboli & ad Dia-
boli caſtra tranſiiſſe. Pulchra certe Chriſtianæ lenita-
tis indicia, ſed hæc eſt omnium Hypocritarum natura
conviciis homines impetere ubi non poſſunt vincere
argumentis. Non alio modo omnes garruli (quorum
primus conditor eſt Diabolus) contra veritatem deba-
chari, vel adverſam partem ſimplici plebeculæ propi-
nare ſolent, quam eos Diabolos aut adminus ſervos
Diaboli appellando.

Quando prima Chriſtianæ Religionis jaciebantur
fundamenta quid quæſo Phariſaicum contra Chriſtum
excogitavit ſupercilium ut ſuccreſcentem veritatem in
herba ſupprimeret, preterquam quod Salvatorem Bel-
zebubi amicum proclamaverit, imo vel ipſum Diabo-
lum eſſe vel demonium habere dicere non erubuerit.
Dum deinceps longe lateq; ſpargi cæpiſſet Evangelium
quid Apoſtoli a Synagoga, quid a Feſto Rege, quid a
tot diverſis gentibus audivere niſi quod eſſent ebrii, in-
ſani obſeſſi & quid non; ſimili Donatiſtæ & Ariani
contra Catholicos uſi ſunt penicillo.

Familiare talibus excetris eſt non alio præterquam
nigro uti colore & nil præter Diabolum poſſe depinge-
re. Cum tamen ipſi ſint lupi ſub ovis ſpecie apparen-
tes & filii Sathanæ ſeſe in Angelos lucis transformantes.

Falleris igitur Pater Reverende me vel Diaboli ſervu
eſſe vel ad Diaboli caſtra tranſiiſſe, verſor enim in
Chriſtianos in quorum Eccleſia fides vera mores co
poſitiſſimi, pietas ſingularis, zelus inextinctus, ſu
appoſitiſſime concentrata. Norunt iſtud qui cum ip-
ſis converſantur & niſi aperte contra conſcientiam ire
velint mecum confiteri debebunt Diabolos hoſce, ve-
ſtris Angelis multo eſſe ſanctiores qui viventes in ſpi-
ritu lenitatis non gloriantur de benefactis, ſed quod
plura præſtare nequeant dolent & triſtantur. Tam
hæc ſunt cuilibet obvia, tam ſole ipſo clariora ut nunc
perſentiam non aliam cauſam ſubfuiſſe quod multos
a libris reformatorum legendis & ipſorum Martyro-
logiis pervolvendis arceretis, quam quia verabamini,
ne veritas cauſæ eorum prominens, nos a veſtris in-
cantationibus efficaciſſime abſtraheret.

Nullus igitur dubito quin ſim in via ſalutis & quod
cum Deo, Angelis, ut & ſanctis eandem fidem profiten-
tibus, internum habeam comercium de quo ita ſum
perſuaſus ac Tu de eo quod ſis homo, niſi cum illo
Dominiacano (Hiſtoriam noſti) vitulus eſſe velis. Ha-
beo enim ex mea parte ſacram ſcripturam quæ a Bel-
larmino certiſſima tutiſſimaq; credendi regula appella-
tur a Scoto ſufficiens in rebus Theologicis director, ex-
tra quam quod dicitur Divina fide credi non debeat ut
ait Occamus.

Habeo primitivæ Eccleſiæ Patres quos tanquam ſcri-
pturarum interpretes exoſculor, quorum ſi preſſero ve-
ſtigia & illis quæ me docuerunt obtemperavero, nullus
dubito quod ille qui eſt fidelis in verbis ſuis qui neq;
fallit nec fallitur me ſuam vocem audientem æterno
non ſit affecturus ſupplicio.

Quod pro me militet ſcriptura, tam manifeſte liquet,

quam

quam quod multi veſtrum novo commento (quod nempe Proteſtantes Scripturam non haberent) manus conſerere voluerint, & non tam de doctrina inire controverſiam, (impares congreſſus Achillis) quam de legitima cleri noſtro ſucceſſione & ordinatione velut iſtud manifeſte liquet ex libello Smitei Epiſcopi Theſaloniceſis.

Quo ad Patres illi ſunt noſtri, in illis enim neq; limbus Patrum aut Infantium, neq; merita veſtra, neq; politopia, neq; tranſubſtantiatio, neq; oralis manducatio, neq; ſacrificia proprie dicta, neq; remiſſio peccatorum poſt mortem, neq; Purgatorium, neq; Sanctorum aut imaginum aderatio, neq; Papales indulgentiæ, neq; ejus infallibilitas *&c.* reperiuntur.

Satis hocce manifeſtum fecit vel unicus Præſul Salisburgenſis Juvellus, qui ex ſolis Patribus tot Jeſuitis imo & Univerſæ Romanæ Eccleſiæ capiſtrum injecit ne hiscerent, ut omittam tot Doctorum inter Proteſtantes virorum torrentem veſtræq; partis genuinam ac veram confeſſionem. Utinam igitur omnes Monachi abjecta ſua diſſoluta vita una mecum ſic errarent, tunc unum eſſet Chriſti ovile & majus gaudium Angelis ejus ex tot perditis hominibus pœnitentiam agentibus quam ex una ove quæ vocem Paſtoris audivit oriretur. Exultaret etiam vel ipſe veſter Patriarcha S. Dominicus illamque vocem quæ Bononiæ audita fuit. *Neq; ego Pater, neq; vos Filii* in hoc *Echo* Apoſtoli commutaret. Filii mei Chariſſimi quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis; Quod ut ita fiat æque tibi ac Univerſæ Dominicanorum Familiæ ex intimis animi mei penetralibus opto.

Ad hanc autem ſecundum legem Chriſti vitam (quam tu errorem appellas) nulla me carnalis induxit

voluptas. Nam uti tibi reliſque Monachis, nihil quod carnales voluptates reſpiciat deeſt, ita neq; mihi inter vos viventi defuiſſet. Sed hoc vobis familiare eſt converſionem veram contumelias in Deum indigitare ejuſq; occaſionem & cauſam effreni carnalium voluptatum deſiderio ad ſcribere.

Ego autem Divinam hanc in parte agnoſco ordinationem quæ omnes afflictiones tribulationeſq; meas eo direxit, ut me primo legem ſuam hiſce edoceret, ac tandem poſtquam me e Captivitate Babilonica eduxit, & hic in Angliam per ſaxa per ignes devolutum in libertatem filiorum Dei, aſſervit; a fermento Phariſeorum cavere admonet ne denuo his laqueis, quos per Dei gratiam jam effugi irretirer. Quibus cum tu me R'd'e Pater iterum implicare atq; iteratis vicibus ſub hocce duriſſimum Pharaonis jugum revocare conaris gemens doleo vehementer. Canis enim non ſum ut ad infamem vomitum, neq; ſus ut ad volutabrum redeam.

Et licet tam inſanus & excecatus eſſem, ut relicturum in Ægypto cæparum cucumerumve afficerer deſiderio nunquam tamen Monachis ulterius fidem adhiberem. Nam præterea quod inter ſe commorantes homines eandemq; Religionem profeſſos iniquiſſime perſequantur veluti aliis dominari cupientes, etiam non alio modo quos vocant Apoſtatas ad ſua caſtra revocare ſolent quam honorum & præeminentiarum. (Ab illo Diaboli tibi dabo deſumpto) Argumento, ut hac methodo ineſcati miſeri, facilius decipiantur & ſe hoſtium ſuorum libidini exponant & tyranidi.

Timeo Danaos & dona ferentes.

Exemplum Novacovii & aliorum (ſi qui forte tales reperiantur) me nihil movet novi enim & ſum edoctus ſufficienter,

cienter, non exemplis esse vivendum sed regulis & firmiter credo tales sues ac canes non sine magno conscientiæ remorsu in vestra communione permanere Deus talibus det resipiscentiam.

Viam itaq; istam quam mihi ad obtinendam misericordiam aperis velut illegitimam existimo eo quod Papam nullum Jubileum proclamare vel de indulgentiis dispensare aut disponere posse sim persuasus, assentiente Dominicano Durando qui nihil certi de illis se posse dicere asserit, eo quod neq; scriptura neq; Patres, uti Augustinus, Hillarius, Ambrosius, Hieronymus quidquam expresse de illis tradiderunt; ita ridiculam Tuam expressionem puto, quando per Universum mundum Jubilæum celebrari pronuncias, cum tamen illum tum omnes Ecclesiæ Protestanticæ, tum etiam Armenica Æthiopica, græca, & aliæ, naso suspendant adunco.

Neq; ego talem desidero misericordiam veluti gnarus, me jam a supremo gratiaram Patre eam obtinuisse, Dum relicta Ecclesia Romana & dissoluto vivendi genere me veræ Christi Ecclesiæ junxerim.

Bene ergo P. Reverende cum tota Dominicanorum familia vale, & cura ut ex his tenebris ex hac Ægypto, ex hac Babylone quam citissime egrediaris, sic sub umbra Dei & sub alis ejus quietus dormire poteris, meque majori afficies lætitia ex Tua, Tuorumq; conversione quam unquam ex mea perversione sperare potuisti.

Honores & præeminentias vestras, cum Paulo pro stercore reputo in comparatione ad eminentiam notitiæ Christi imo cum Moyse crucem Christi, omnibus Ægyptiorum antefero divitiis. Et velut gemmas inventas Themistocles, servum suum jussit attollere, eo quod non esset Themistocles, ita & Ego has palustres Bullas & fragilem fortunam relinquo monachis dicens; Tollite vos hæc quia non estis Christiani.

Et

Et ſi forte ſub ſpecie Chriſtianiſmi hominum animis vos inſinuetis, revera tamen tam procul a Chriſtianis quam cœnum a cœlo abeſtis. Non loquor de omnibus, ſunt & inter vos, animæ quæ genu ſuum coram Baal non flexerunt, ſed a potiori ſumo denominationem. Convertimini ergo vos ipſimet & alios tam ſpecioſe pervertere ceſſate ne alias nomina veſtra deleantur de libro vitæ & ſic illis æternis voluptatibus deſtituamini. Vale.

FINIS.